

DE

**SPIRITUS AD MATERIAM RELATIONE.**

Dissertatio,

quam

*Venia Amplissimi Ordinis Philosophorum  
Universitatis in Fennia Alexandrinae,*

e cathedra inferiore defensurus,

p. p.

**JOHANNES WILHELMUS SNELLMAN,**  
Rector Scholae.

In Auditorio Philos. die xxvii Septembris mcccxlviij

h. a. m. s.

---

Helsingforsiae,  
ex Officina Typographica Frenckelliana.

### 33 DE SPIRITUS AD MATERIAM RELATIONE.

Paucos quidem inveneris nostro aevo naturae scrutatores, qui, totius mundi ordinem solis, quas dicunt, naturae legibus subditum esse, non censeant. Cum autem intima naturae fabrica, qua res creatae sunt indiesque procreantur, a conspectu hominum abscondita sit, ratio vero mundi spiritualis, per se invisibilis, tota naturae scrutatorem fugiat, hunc, gravem providumque, doctrinam, quam pectore foveat, verbis indicare videbis paucissimis.

Accedit ad hoc, quod opinio vulgaris, praecepsis religionis innixa, materialistarum adversatur doctrinae. Animus nempe humanus, si a natura naturante, ut dicitur, eadem fere ratione, qua res naturales, procreatus esset, nullum sane delectum boni atque mali haberet. Hinc physicorum plures, Britannorum maxime, altera ex parte physicae proponunt experimenta, ut si omnia mundi phaenomena eandem sequantur naturae legem, ex altera vero fide quadam religiosa Deum agnoscent extramundanum, cuius nutu natura ipsa regatur. Neque illi vituperandi. Hoc tamen displicet, quod scientia ita quodammodo vana fit, ut quae tantum ad victimum cultumque parandum utilis sit et formalem mentis adjuvet usum, nullam fere exercens vim in vera humanitate excolenda, i. e. in ratione humana expolienda et voluntate emendanda. Hinc itaque doctrinam physicae, illinc, nullo intercedente nexu, placita fidei et pracepta officii attestantur physici laudati.

Putaveris philosophiam hodiernam, quae idealismum doceat, vituperationem effugisse dualismi jam adumbrati. Nec desunt certe disciplinae philosophorum, laudem systematis sibi vindicantes ab omni parte absoluti. Quarum in numerum tamen disciplinae Britannorum et Francogallorum, vel psychologiam et logicam, vel doctrinam juris et morum exhibentes, haud referenda sunt. At philosophia Germanorum usque a temporibus Leibnitii in eo versata est, ut decreta rationis cum placitis religionis conciliaret. Hoc quanto cum successu fecerit, inter philosophos ipsos haud convenit. E nostro autem judicio studium philosophiae laudatum vix ac ne vix quidem procedet, nisi eum, in quem incurrit physica, dualismum penitus sustulerit, assertionibus quibusvis naturalistarum refutatis. Quod tamen non, nisi admissa omni physicorum experientia, philosophia perfecerit. Neminem vero fugit rei peritum, hanc laudem philosophiae hodiernae totam minime competere.

Supremo quasi cumulo indagationem naturae auxit Geologia hodierna, in quam ceterae disciplinae naturales confluunt. Docet vero geologia, tellurem aliquando omni destitutam fuisse natura organica; immo evidenter satis demonstrat, plantas varias atque animalia eandem incoluisse, antequam homini patuerit in rerum natura locus. Addit historia cultus humani rei documenta gravissima. Physica igitur, si modo sibi constiterit, hominem processu quodam materiali e tellure progenitum esse, contendit. Sumit vero eo ipso, spiritum humanum hanc secutum esse hominis generationem primitivam. Quae assertio physico, etsi modum hujus generationis ignorat, magis placet, quam doctrina de mundi per verbum divinum creatione. Nam respicit illa processum naturae, qui tamen experientiae via cognosci potuerit; haec vero actionem indicat spiritualem, extra ordinem rerum naturalium positam.

Adde, quod etiam procreatio vegetabilium et animalium naturae scrutatoribus processus tantum materialis esse videtur. Assumunt quidem vim vitalem, quae totum moveat vitae processum; eandem vero

10

20

30

40

50

vim meram abstractionem esse intelligentes, hoc nomine summam phaenomenorum vitalium designari dicunt. Phaenomena vero vitae, quamquam aliam praebent, atque processus anorganici, rationem, mutations vel evolutiones sunt materiae. Ita existentia quoque cujusque hominis individui processui materiali, ut putant physici, originem debet; neque patet, quonam modo alia sit origo ipsius spiritus humani.

Philosophia contra spiritum sui positionem esse urget; aliter enim nullus est philosophiae locus de libertate animi, de jure, de officiis disserendi. Si enim ingenium animusque humanus materialem habeant originem, i. e. si per materialem quandam processum exstant, eidem certe, cui res materiales omnes, subdita sunt necessitatis legi. Quinimmo quisque, libertatem animi urgens, videat, ne, existentia immediata materiae adimssa, libertatem de gradu dejiciat. Nulla enim harmonia praestabilita reficitur libertas humana; quae esse non potest, nisi materia ipsa spiritus sit positio, eandem sibi supponentis. Quam de spiritus ad materiam relatione revera fovet philosophia hodierna doctrinam.

Haec tam gravis physicam inter et philosophicam mundi contemplationem discrepantia non tantum scientiae impedit progressus, verum etiam cultum omnem humanum dualismo vexat quam maxime nefasto. Fluit exinde altera ex parte indifferentismus, ex altera vero simulatio, vel potius deceptio mentis aequa periculosa. Disciplinis enim positivis, ita dictis, imbuti quaestiones de Deo, de libertate humana vel plane respuunt, ut quae nullo modo solvi possint, vel placita quaedam in his rebus amplectuntur, quibus aliena manet tota eorum sentiendi atque agendi ratio, quibus ideo revera assensionem tribuunt tantum formalem. Philosophica contra usi institutione scientiam rerum laudatarum prae se ferunt omnino absolutam, discrepantium vero illam, quae inter experientiam et ratiocinationem intercedit, vel omittunt vel dissimulant. Unde fit, ut, doctores parum validi, sectatores secum trahant doctrinam haud eo tenentes animo, ex quo in aerumnis vitae virtutem, in mortis angustiis solatium capere possint.

Frustra sperabis fore, ut vestigia jamjam relicta denuo premat genus humanum; vanaque erunt eorum conamina, qui, fructus scientiarum rejicientes, homines ad pristinam fidei auctoritatem revocare studeant. Nec, me judice, opinio rationi consentanea, ideoque firma et sibi constans, humana reget pectora, nisi philosophia, peritia physicorum adscita, ad hanc systema retulerit, indagatio vero naturae, cum fabricam ejusdem oculis persequi non valeat, rationem judicem agnoverit, vetustum illud secuta: de spiritualibus non nisi spiritualiter.

Quis enim est, qui non intelligat, quanta esset scientiae vis in vera humanitate promovenda, si eandem sequerentur philosophia et indagatio naturae legem, ad eandem animos hominum perducerent metam. Principialis vero cum sit discrepantiae fons diversa harum disciplinarum doctrina de spiritus ad materiam relatione; hanc quaestionem philosophiae solvendam esse, nemo forsitan dubitat. Scrutator naturae, historiam generis humani cuique hominum maximi esse concedens, nullo suo jure negabit, rationem spiritus etiam in indagatione naturae respiciendam esse. Neque sane ulla adest caussa, cur in quavis actione naturae, quae omnino a conspectu hominum remota sit, processum quandam spiritualem non videat, sola rationis ope explicandum, concedatque, explicationem veram esse, modo, rationi spiritus consentanea, nullis adversetur physicae experimentis. Solutio igitur quaestions citatae philosophica non potest non etiam physica esse. Sunt quidem qui dicant, rem in suspenso relinquendam esse. At erit hoc sana

naturae cognitione indignum. Naturae enim phaenomena explicans legesque, quas naturae nominat, alteram alteri appendens, scientiae nomine haud dignam se praebet physica. Qua de re, ne inepte nostro uti videamus judicio, verba afferre liceat viri ingenii acumine et peritia insignis: »Dass Geist, Vernunft, innere Zweckmässigkeit in der Natur ist, sieht am Ende freilich nur der philosophische Gedanke ein, der sein Ebenbild in der Natur wiederfindet; die gedankenlosen sinnlichen Empiriker werden niemals dazu kommen». 1)

Curae nobis fuit per temporis spatium haud exiguum, aliquam e controversiis scientiae hodiernae invenire viam. Fontem vero harum controversiarum, re diligenter explorata, discrepantiam esse putaverimus philosophiae cum physica, praecipuam vero dissensus materiam eam, quam exposuimus, harum disciplinarum doctrinam de spiritus ad materiam relatione. Statuimus igitur brevem hoc loco instituere rei disquisitionem, quasdam pro modulo virium descripturi lineas ad solutionem quaestioneis prae ceteris studio dignae. Tribuat vero, precamur, Lector Benevolus errores in re ardua exponenda non modo infirmitati virium, sed etiam vitae nostrae statui, qui parum nobis concederit otii philosophici, pauca etiam tribuerit adminicula litteraria, nosmet opusculum haud omnino repudiandum protulisse, benigne concedens, dummodo nova quaedam hic invenerit quaestioneis propositae momenta.

10

20

### §. 1.

In omni materia philosophica difficultissimum est, locum invenire, unde incipiat disquisitio. Nam plurimae sese offerunt rei rationes respiciendae; nec facile dictu est, quaenam earum principialis sit, ex qua ceterae deduci possint.

Liceat igitur media e re initium capere, definitionem spiritus et materiae e mutua relatione eruendo quam maxime vulgarem, quo, hinc exorsi, utriusque naturam latius exponamus.

30

Materiam igitur vocamus *Objectum* sensationis, conscientiae;

I. Spiritum vero *Subjectum* sentiens, sui atque Objecti consciūm.

Opponat nobis aliquis, definitionem materiae justo latiore esse, ut quae objectum etiam comprehendat immateriale, quod dicunt. At nihil est objectum immateriale, nisi spiritus sibimet ipsi objectivus, Subjectum uti objectum. Soli igitur materiae nomen competit Objecti, qua tale. Neque opus est, ut nomine objecti externi vel materialis utamur, cum notio Objecti per se negationem Subjecti complectatur, Materiam igitur extra Subjectum positam esse significans.

40

Supervacanea etiam hac nostra definitione fit subdivisio physicorum, qua materiam aut ponderabilem aut imponderabilem esse statuant.

Quibus positis, ad latiorem definitionis nostrae explicationem pergamus.

1. Materia objicitur sensationi.

a) At per se non objicitur (non ipsa Subjecto semet objectum ponit);

Nam uti objiciens, semet objectum ponens, Materia jam Objectum est, i. e. objectum sensationis est.

b) Nec vero Spiritum (Subjectum) supponit;

Nam ita se ipsa poneret, uti quae Subjecto supponendo Objectum fieret.

Quae etiam inverso demonstrantur ordine:

c) Materia Spiritum non supponit;

Nam hac tantum positione Objectum esset. Subjectum vero supponens, Materia objectum non est. Materia igitur, prout Objec-

50

tum, Spiritum non supponit.

d) Neque vero materia se ipsa ponit;

Nam ita Spiritum supponeret; quod esse non potest.

2. Spiritus materiam sentit;

a) At per se sentit (semet ipse Subjectum ponit);

Nam a Materia minime suppositus est (l. b.). Sui vero conscius Spiritus Subjectum sentiens est, se ipse ponit.

b) Materiam vero Objectum sibi supponit;

10 Sequitur hinc, putas, Spiritum materia supponenda ipsum semet ponere (vide l. b. c.); nec sane adversamur. Materiam certe supponit; nam aliter Objectum haud sentit; i. e. materia, cum Spiritui supposita sit, suppositio ejusdem est. Neque enim materia se ipsa Objectum ponit (l. a.).

3. In aperto est hic controversia:

*Spiritu per se sentire;*

*Spiritu, materia supposita, sentire;*

Vel, quod idem est:

*Spiritu per se esse;*

*Spiritu, materia supposita, esse.*

20 Ex hac eadem controversia Spiritualismus atque Materialismus orti sunt. Huic favet tota physicorum peritia. Conscientia humana mundi materialis existentiam supponit; homo processu quodammodo materiali procreatur, vitam agit, diem obit supremum; immo telluris conformatio demonstrat, naturam anorganicam exstisset, antequam exstiterit genus humanum. Indicant haec satis, spiritum humanum e materia processisse, sui positionem non esse. Neque sibi constanter indagatio naturae Spiritum admittit extramundanum, qui se ipsum materiamque ponat.

30 Philosophia contra, libertatem animi humani secuta, conscientiam sui caussam, vel principium saltem, facit sensationis Objecti. Altius repetens, philosophia hanc quaestionem ad relationem Cogitationis et τοῦ Εστίου referri debere intellexit. Qua de re variae mentes philosophorum agitarunt sententiae; invaluit vero novissimis temporibus illa, quae identitatem urget Cogitationis et τοῦ Εστίου. Neque abstracte sumitur tantum haec identitas, sed processum continent sui positionis. Cogitatio nempe τῷ Εστίῳ supponendo semetipsam ponere dicitur. Hujus vero rei expositio metaphysicae est negotium; neque hoc loco nisi applicatio theseos facienda, sumptionum philosophorum et physicorum comparatio. Applicatio autem illa tota sistema philosophiae efficit. Ponimus 40 igitur tantum summam systematis esse: quod spiritus materia supponenda se ipsum ponat.

4. Neque sane controversia adumbrata componi potest, nisi admittantur sumtiones controversae: spiritum per se sentire, attamen materia supposita sentire. Spiritus itaque non est Subjectum tantum sentiens, sed processus sensationis, cuius momenta sunt sui conscientia atque sensatio Objecti. Corrigenda igitur est definitio spiritus supra allata atque ad hanc redigenda formam:

Spiritus processus est sentiendi, conscientiam sui objecto sentiendo (conscientia objecti) perficiens.

50 Vel aliis verbis:

II. *Spiritus sui materia supponenda est positio.*

Quae definitio, ultimo loco citata, eo magis adaequata est, quod rationem agendi simul et sentiendi humanam exponit, immo processus complectitur naturales, caussam et finem respiciens rerum naturalium.

Notionem vero Subjecti in hac definitione omisimus. Nam philoso-

phi, cum Subjecti nomine idem fere designant, quod in vulgari valeat opinione, i. e. facultatem meram sentiendi atque agendi, hanc abstractionem in abstractam Objecti notionem quadrare intelligunt. Est nempe Objectum abstractum mera potestas sensationis vel cogitationis, id, quod determinatis subest sensationibus cogitationibusve. Subjectum itidem potestas sensationis est vel cogitationis, quae determinationibus subest. Realis vero spiritus essentia in determinationibus ipsis adest, manifesta est, quam ob rem Spiritus non Subjectum sentiens, sed processus ipse sensationis habendus, cuius sunt attributa vel momenta supra allata.

Quicunque animum ad rationem spiritus humani adverterit, hujus processus momenta in omnibus, quae sentiat homo agatque, facillime cognoscet. In rerum natura, quam attentus perlustrat, rationis homo admiratur imaginem, rationique convenienter vitam agens, ordinem rerum optime sequitur. Suam homo in natura materiali perscrutanda ediscit naturam, suam, eandem ad fines rationis accommodans, manifestat libertatem. Supponit igitur spiritus humanus in cogitando et agendo naturam rerum materialium, ad naturae vero fabricam animum attendens, non materiae, qua talis, sed sui ipsius conscius redditur.

Convenit huic de spiritu doctrinae, quod omnes omnium temporum viri sapientissimi de genere humano praedicarunt: progredi quidem indies genus humanum ad novam exsistentiae formam perfectiorem, dum formationes natura materialis eaedem maneant, processusque naturales vel formis mutandis easdem producant res, vel procreatione individuorum species conservent immutabiles. Immo cum novam induunt res naturales speciem, hoc casu quodam vel ope humana adjutae faciunt, angustissimis praeterea finibus circumscriptae. Soli generi humano innatum quasi est melioris studium, ut jure dicatur, genus humanum tantum conscientiae sui habere, quantum ingenii acumine et virtute animi profecerit.

### §. 2.

Aperte vero jam omnis vita organica similitudinem quasi spiritus repraesentat. Ardua sane est res, definitionem organismi proponere. Maxime tamen adaequatam hanc putaverimus:

Organismum esse processum, per quem Idea essentialis materia supponenda se ipsam ponat.

Organismus enim, e semine, ex ovo semet devolvens, ideam sui ponit, realem facit, supposita (in semine vel ovo) materia, ad ideam ipsam conformata I. e. supponit idea materiam organicam; qua suppositione in organismo realis fit, semet ipsam ponit. Dicat quispiam, ovum processu quodam anorganico gigni; quam vero rei rationem peritia diligentissima statuere nequivit. Ovum procreatum plane individuale est, ad ideam organismi, qui ex ovo producitur, conformatum; vis vero mechanica et chemica jam in ovo huic ideae subordinata est. Ita etiam in planta atque animali processus attractionis mechanicae affinitatisque chemicae vitae cedunt organicae. 2)

Clarior in animali, quam in plantis, sese manifestat processus laudatus organicus. Ipsa enim procreatio animalis appetitiva est; animalque materiae assimilatione, i. e. suppositione materiae organicae appetitiva crescit, ad ideam sui semet explicaturum. In animali igitur posita est (sentitur) processus organici prae anorganicis praevalentia. Neque vita animalis indefensa morti succumbit. Haec vero est dignitas vitae morti praematura non subditam esse.

*Essentialis* autem dicitur idea in organismo manifestata, quia idea est

10

20

30

40

50

generis, typi universalis, ad quem conformantur individua organica. Neque tamen putandum, definitionem organismi quodammodo in definitionem spiritus quadrare. Spiritus sui positio dicitur; organismus positio ideae. Ille sui conscientius; idea ipsa conscientiam manifestationis sua, qua talis, non habet, quam quidem manifestationem perspicit spiritus, ratio humana, non idea ipsa. Quare etiam haec essentialis dicitur, idea *tou Esse*, non vero *tou Scire*. Animal igitur brutum essentiae suae haud concium est. Neque ceteroquin universalia capit. Conscientiam sui individualem tantum habet; Esse suum rem, a ceteris rebus distinctam, esse sentit, suaque gaudet vita, prae ceteris existentibus anteponenda.

Posita vero est, realis est, haec brutorum conscientia in procreatione. Sobole quidem procreanda et sustentanda individuum sibi aequale ponit brutum, in hoc propriam affectu immediato adamans essentiam, cuius igitur uti universalis neque per se concium est, neque conscientiam manifestat. Immo tanta est ideae (naturae, ut dicunt alii) in bruto vis, ut in sobole tuenda vitam vilem habeat. Caecus est hic sobolis amor, quia conscientia ideae destitutus est.

At ratio hominis sola universalia capit, spiritusque humanus sui prout universalis, sua quasi ideae positionis, conscientius est. Quaevis igitur idea, quae hominem cogitantem vel agentem moveat, non caeca agit vi naturae, sed conscientiam finis tenet.

Haec autem, quae processum organicum rationemque spiritus intercedat, differentia latius nobis explicanda, cum ex ea optime eluceat, quaenam sit illa, de qua hoc loco quaeritur, spiritus ad materiam relatio. Atque est in processu organico in primis respicienda generatio organismi, utpote quae materiae anorganicae in organicam transitum, eo ipso autem originem quasi individui sentientis sistat.

At duplex est quaestio. Quaeritur nempe: quaenam sit origo vitae organicae primitiva? deinde vero: quomodo propagatio organismi individui explicanda?

Jam Physicus cum extra omnem dubitationem posuit, tellurem primis existentiae temporibus nullis ornatam fuisse formis organicis, plantas animaliaque e materia anorganica progenita esse statuit 3). Quem processum generationis spontaneae nomine designat. Num vero ejusmodi generatio in rerum natura exsistat, nec ne? hoc minime liquet. In organismis superioris ordinis certe non adest. Quaecunque autem sit physicorum de hac re opinio, attamen omnes concedant, necesse est, generationem organismi primitivam aliam fuisse, ac quae nunc temporis in plantis animalibusque phanerogamis conspicua est generatio ex ovo, procreationis nomine appellanda. Admittunt igitur revera generationem quandam supranaturalem, i.e. aliam, ac quae in phaenomenis naturae praesentibus manifesta sit. Ratione vero humana nullam admittente generationem, nisi quae natura rerum innitatur, naturae scrutatores tamen generationem illam naturae tribuunt naturanti. Naturae nempe vim laudant, quae olim fuerit, quae vero jamjam nostram fugit tellurem.

Obvenit haec eadem difficultas in generatione ex ovo explicanda; quam tamen physici naturalem dicunt, quia praesens est ipsum phaenomenon. Est autem semen e. gr. plantae, ovum animalis ovipari materia per se mortua, in qua nullum videt naturae scrutator vitae signum. Vivificantur tantum vel caloris ope, vel caloris atque humoris, i. e. processu plane materiali. Quis vero demonstraverit, rem se aliter in animalibus viviparis habere! 4) Quid igitur? Num hanc organismi procreationem explicare potest naturae scrutator? At certe non potest.

Semen, ovum producta organica esse dicat. Per se mortua sunt, nisi accedat medium materiale vivificans. Prima plantae initia in semine monstret. Ipsam vero vitae originem hac minime explicat monstrazione.

Differt igitur procreatio a generatione primitiva eo tantum, quod sit ovum processu organismi individualis procreaturn. Materia autem anorganica constat ipsum ovum, i. e. radices (elementa) habet anorganicas. Qua vero ratione materia anorganica in ovo organica facta est? Etiam si vitam jam ovo inesse dicas, ab oculis hominum absconditam, attamen ultra regrediendo explicandumque: quomodo materia per se anorganica viva reddit a? Procreatione forsan appetitiva? At est hic procreationis processus aut materialis, aut spiritualis. Si illud, restat tamen problema laudatum: quonam modo materia processu materiali viva, immo sentiens fiat? Quae eadem quaestio in generatione primitiva semet solvendam offert.

Ad methodum physicae empiricae animum attendens, quisque intellegit, physicam quodvis phaenomenon per aliud quoddam, quemvis processum per alium rursus explicare. Itaque processum quoque organicum physici optime expositum putarent, si eundem modum quandam processus chemici esse intelligerent. Affinitatem itidem chemicam vel processu galvanico supposito vel attractione atomorum determinari statuunt. Porro attractionem mechanicam vel repulsione opposita explicant, vel atomos supponunt subjecta attractionis. Hoc ultimum est refugium. Elucet jam, atomos nihil esse, nisi ipsam attractionem abstractam, quam imaginationis ope materiam indivisibillem esse fingunt. 5) Revera igitur empiricus quoque phaenomenis processum supponit haud materialem, supranaturalem. Hunc in organicis vim dicit vitalem, quae, etsi summam tantum denotet phaenomenorum organicorum, attamen revera processus est immaterialis, qui totus nunquam oculis conspici potest. Quavis igitur indagationis naturae via idem occurrit saltus, quo mens humana a materia supposita ad processus immaterialis positionem perducitur.

Philosophos contra, fateamur, hodiernos, dum rationem spiritus exposuerunt, parum naturam rerum materialium respexisse, quaestione de generatione primitiva saepissime neglecta. Kantii adhuc de hac quaestione effatum valuisse, putaveris, antiquarumque cosmogoniarum vestigia nostri aevi philosophos deterruisse. Tacite vero plerumque supposita fuit universi non solum, sed telluris, immo vitae organicae ab aeterno existentia. Sic Schelling, Universum aeternum esse statuens, huic aeternitati etiam existentiam rerum terrestrium subjungit. 6) Hegel processum quidem geologicum quoad tempus etiam processui praeponit organico. Forma vero hujus assertionis cum tota systematis ratione parum convenit. In momento enim expositionis dialectico processum non respicit geologicum sed meteorologicum, cuius »subjectum« tellurem nominat. Hoc nempe processu »vivens punctuale« e tellure, »viventium omnium systemate«, vita vero carente individuali, gigni dicit, vivens tamen speciei propagandae impotens. Quae effata pravis locum dederunt interpretationibus. At jam cito ad expositionem vere systematicam philosophus sagacissimus progreditur, organismum individualem sola idea vitae in lucem vocari statuens. Neque porro in expositione organismi vegetabilis atque animalis generationis illius spontaneae monet.

Hanc vero rerum naturalium e rerum idea explicationem rejiciendam esse, putant physici. Ideam meram ideam, cogitationem humanam tantum subjectivam, esse statuentes, huic materiam, to Esse reale, objectivum, opponunt. Hinc itaque ideam premunt, caput mortuum

10

20

30

40

50

cognitionis humanae, illinc materiam, per se quoque motu et vita carentem. Cum tamen materiam moveri vitaque imbui videant, altera vero ex parte cognitionem humanam explicari sentiant (novas gigni dicunt ideas), motum, vitam et cognitionem viribus quibusdam tribuunt ignotis, naturae naturanti nempe, quae in attractione, affinitate, vi vitali, facultatibus denique animi humani adsit agatque. Concedunt quidem, has ipsas vires meras esse ideas. At iisdem leges naturae et rationis substituentes, quas summam tantum phaenomenorum designare dicunt, semet notiones laudatas e serie idearum eripuisse putant. Philosophia vero, quae physicos e regione virium naturalium expulit, jam leges laudatas meras ideas esse ostendit, abstractas nempe quantitatis infinitae notiones. Nullum igitur physicae relictum est a meris ideis refugium. Nec mirum! Physici enim, cum ideas omni spoliaverint realitate, ne verbum quidem de phaenomenis naturae praedicare possunt, nisi meris utantur ideis. Hae vero ideam rerum minime concipiunt.

Neque aliud datur rei remedium, nisi ut Philosophorum more Physici, quas ideas rerum esse cognoverint, eas in rebus Esse suum habere concedant. Ideas itaque rerum e rebus ipsis haurientes, cum res ad imaginem idearum formari videant, in pristinum non incurvant errorem, natura quadam naturante praeter materiam rei ejusque ideam supposita. Tertium igitur non admittendum.

Suo quaerat jure physicus, utrum materia caussa sit rerum, an idea. Et si illud; cur tandem conformatio materiae ideae sequitur legem? Sin hoc; cur igitur idea realis non est, nisi in re, in materia formata? Aliis verbis: si materia caussa sit, nullam sequitur res existendi legem; si idea, mera est idea ante rem existentem. Ex. gr. nisi sistema solare, nisi sal quivis chemicus, nisi planta, animal ideas supponant, nihil est, cur varias prae se ferant existentiae formas, arcte definitas; nisi vero materia rerum supponatur, res plane non existunt. Mutua itaque esset suppositio ideae atque materiae – ratione nempe humana mutuam relationem contemplante? At tertium non admittendum. Ratio contemplandi humana igitur cum natura naturante rejicienda est. Idea vero Universale est, tota in quavis re manifesta, realis. Neque ulla est materia, quae non ad ideam conformata sit; i. e. nulla est materia, nisi in re. Res igitur processus est ideae, semet ponentis; quae vero positio non nisi suppositione materiae positio realis est. Idea nil aliud est, nisi haec sui positio; materia nihil, nisi ideae suppositio.

Hanc philosophiae de natura rerum doctrinam revera etiam adumbrat physica, naturam naturantem, vires, leges naturae assumens. Ostendimus jam, physicam in generatione organismi explicanda eandem spectare caussam rerum idealem, spiritualem, supranaturalem.

Philosophia igitur, Organismum processum esse statuens, in quo idea materiae suppositione se ipsam ponat, consequentias quasi sistit indagationis naturae. Quae evidenter satis apparent, doctrina illa de generatione organismi accuratius examinata.

Generationem organismi primitivam spontaneam nominans, naturae scrutator hoc nomine indicat, eandem processui cuidam organico non esse tribuendam. Attamen concedit, organismum nullo produci processu anorganico, nisi sit hic processus alius quidam, ac quos physicae hucusque cognoscere licuerit. Hunc vero processum nos organicum dicimus. Idea nempe essentialis materia supponenda se ipsam ponit, realis fit. Processu igitur organico efficitur materia organica; supponitur materia. Eodem processu ponitur res ad ideam conformata, idea realis, organismus individuus; neque igitur Esse suum habet idea

essentiae nisi in hoc processu. Organismus vero est idem ille processus positionis atque suppositionis.

»Meram ideam» hanc de generatione primitiva assertionem putaveris, nisi idem sit generationis ex ovo processus, nisi in hoc posita sint generationis primitivae momenta, nisi denique suum in systematica mundi contemplatione haec ideae essentialis positio habeat locum.

Videamus itaque, quaenam in generatione ex ovo posita sint momenta.

Est vero ovum materia organica processu organico formata. Immo ad ideam organismi jam conformatum est ovum. Finem evolutionis ovum in organismo individuali habet, in quo tota conspicua est ideae ratio. Formatur, dixeris, ovum, crescit, evolutionisque stadia percurrit, materia anorganica et processu anorganico mediante. At intercedit ipsa procreatio, quae ovum vivificat, organismum facit individualem.

10

Positum igitur est: in ovi conformatio, ideam materiam supponere organicam; in organismo individuali, ideam realem esse; in procreatione, hanc realitatem processu produci organico, i. e. positionem ideae esse.

Quod vero formationi ovi atque evolutioni organismi suppositi sint materiae anorganicae processus, hoc eandem, ac in generatione primitiva, praebet rei rationem. Est enim processus organicus in systemate rerum negatio processus anorganici, qua continetur suppositio materiae organicae. Tollitur hac negatione processus anorganicus, in processum transit (sublatus est) organicum, in quo igitur manent phaenomena virium naturae anorganicarum, ut momenta processus organici.

20

7)

Quae materiae organicae ad anorganicam relatio in generatione ex ovo posita est, in formatione nempe ovi atque in conditionibus anorganicis, quas ovi in organismum individualem transitus supponit. Neque alia in generatione primitiva ratio materiae anorganicae atque organicae mutua esse potest, ac quae in generatione ex ovo posita est. Physicorum de generatione spontanea opinio aliam certe non respicit; experientia denique, hanc in esse in generatione ex ovo rationem, affirmat.

30

Valent sane in organismo leges naturae anorganicae; at quovis loco atque tempore per vim vitalem temperantur. Mechanica structurae, chemica materiae organicae ratio nulla efficitur sola attractionis vel affinitatis ope. Nulla e. gr. adest caussa affinitatis, cur aliae organismi partes aliis compositae sint elementis chemicis. Neque per affinitatem chemicam explicari potest diversa partium similium compositio in organismis, genere atque specie diversis. Ad conformatio, ovi atque organismi diversam provocent physici. Conspicua vero est in hac ipsa conformatio, vis processus organici, modum processus anorganici in organismo constituentis.

40

Longum est, varias, quas compertas habent naturae scrutatores, enumerare procreationis formas. Jam constat, nullum generationis spontaneae exemplar cognitum esse. Quare in tempus praeteritum referendus est hic generationis modus, ut qui generationi tantum competat primitivae, immediatae materiae organicae creationi. Notissimum contra est, generationem ex ovo in plantis animalibusque plurimis infimi quoque ordinis jam extra omnem dubitationem positam esse. In animalibus vero magis est manifesta ratio generationis, ut quae in his appetitiva sit, ideae igitur prae se ferens vim in organismo procreando. Neque exstat animal superioris ordinis, cuius propagatio non concursu fiat duorum individuorum; ut etiam ipsa generatio ovi

50

hujusque in organismum individualem permutatio in animalibus laudati ordinis parum, nec nisi modo indirecto, a processu naturae anorganicae dependet. Ita generationis momenta in serie formarum organicarum magis magisque posita esse, credideris.

Haec fere sunt, quae de generatione organismi afferenda esse putavimus. Patet vero, cardinem quasi nostrae explicationis in eo positum esse: quod natura, ideae secuta legem, non modo immediata sit ideae manifestatio, sui positio, sed etiam momenta positionis, totam hujus processus rationem, in formis inter se dissimilibus manifestet. Quare etiam rationem generationis primitivae in generatione ex ovo *positam* esse dicimus. Est vero Immediatum suppositum, praeteritum, quod non nisi ut relictum cogitatione capi possit. Quam ob rem etiam generatio primitiva in systemate philosophiae naturae immediatum efficit positionis ideae essentialis momentum. 8)

Variis quidem adhuc nostra expositio locum dabit conjecturis, generationem primitivam depicturis. 9) Nec dubium est, quin indagatio naturae in posterum multis rem illustratura sit experimentis. Errant vero, qui putent, generationis mysteria aliquando peritia patescere posse. Fugient naturae scrutatorem caussae efficientes attractionis mechanicae affinitatisque chemicae. Quanto itaque altius sensus humanos natura celabit originem organismi, omnium processuum naturalium maxime admirabilem! Neque sane naturae aliquid dignitatis adimit, quod ratio humana sola sibi explicationem vindicet phaenomenorum naturalium. Nullus patet sensibus ad res spirituales aditus; attamen nemini in mentem venerit, mundum spiritualem eam ob caussam mundo materiali inferiorem esse. Cedat igitur physica sine aegritudine philosophiae explicanda, quae peritia enucleari nullo modo possint.

### §. 3.

Fundamentum quasi his allatis posuimus disquisitionis, Spiritus subjectivi ad materiam relationem explicaturae. Patebit autem, disquisitione instituta, hanc illis haud parvam addere fidem.

Quotidiana docet experientia, homini sui conscientia originem ipsius conscientiae praeteritum quiddam esse, cuius ne minima quidem homini manet conscientia. »Naturalem» esse, dicas, hanc rei rationem, cum conscientia originis conscientiae etiam contineat necesse sit status cuiusdam spiritus humani ipsi conscientiae antecedentis conscientiam; quae nulla esse potest.

Experientia duce tamen statuere possumus, conscientiam quandam sui in homine ceterisque animalibus cum ipsa vita adesse. Ratio vero formationis organismi animalis, ex ovo, per embryon et foetum, ad pullum vel infantem, satis evidenter docet, hanc conscientiam sui formationi quasi sensum externorum antecedere, post sensum, proprie sic dictum, tandem ceteros oriri sensus, conscientiae sensations objecti communicaturos externi. 10)

Hunc lubens in conscientia humana explicanda philosophia agnoscit ordinem. Statuit enim disciplina philosophica, to Esse immediatum Spiritus sui concii sensum sui esse, quo spiritus to Esse materiae suum sentit Esse. Jam vero ille sensus sui, quem spiritui tribuimus, spiritus est sui positio materia supponenda. Materia nempe, in qua Esse suum habet spiritus, materia est organica, organismus materialis, corpus, cui consociata est anima. Spiritus igitur corpus supponit, at praesentiam suam in corpore sentit, i. e. hac suppositione se ipsum ponit. Anima materiam supponit, corpus, uti quiddam continuo datum, sibi consociatum; se ipsam vero in toto corpore et quavis ejusdem parte

praesentem esse sentit; i. e. negat spiritus *to Esse* materiae immediatum; qua negatione spiritus corpus revera supponit suumque *Esse* ponit.

Hunc processum eundem esse, liquet, per quem organismus individuus animalis generatur. Quam itaque nos anticipatione quadam positionem spiritus vocavimus, haec revera positio est ideae essentialis. Idea essentiae, cum jam in plantis, in vita vegetabili, realis sit, tamen in planta non exstat ut Universale, naturam partium singularium organismi communem efficiens, in quavis parte totum praesens; i. e. non posita adhuc est in plantis essentiae ratio ut exsistens. Nobis quidem conspicua est plantae individuae cum typo generico convenientia; hic vero typus ipse, uti semetipsum ponens, realis non est; i. e. planta individua essentiae formam non manifestat, in qua conspicua sit ideae prout universalis exsistentia, materiam supponentis, semetipsam ponentis. Centrum habet planta in tellure, sibi extrinsecus positum. In animali autem anima, forma plerumque materiali praecipua praesentiam significans, universale sistit ideae momentum, centrumque efficit organismi. Realis est haec ideae manifestatio eo, quod idea *to Esse* materiae suum ponit *Esse*, in materia semetipsam sentit. Anima igitur nihil est, nisi sensus sui ille, de quo locuti sumus, itaque sensus sui ideae essentialis.

Qui tamen sensus sui animalis conscientia sui non est essentiae uti universalis. Immediatum est hoc *Scire simul et Esse*, *Sensus sui* (suet. »Sjelfkänsla»), non conscientia sui cogitata (cognitionis: suet. »Sjelf-medvetande»). Neque sensus sui sensatio est determinata, quam in embryo ex. gr., organis sensuum externis destituto, admittere haud licet. In omni vero organismo animali certe adest sensus quidam ipsius vitae, qui aliter concipi non potest, nisi ut anima, suum in corpore sentiens *Esse* immediatum. Pro certo etiam statuere fas est, sensum vitae differe in animalibus diversi generis. Quare generica appellari potest haec immediata animalis conscientia, ideae igitur essentialis sistens in materia manifestationem. 11)

Per se vero processus est sensus sui, suppositio corporis materialis et negatio hujus suppositionis. Supponit nempe anima corpus *ut Esse* materiale; hanc vero suppositionem negat sensus sui, quo anima *Esse* materiale *Esse* suum esse sentit.

Negatio autem est determinatio. Ponas modo sensum sui iterari, ut revera iteratur, et plures habebis sensationes, easque inter se distinctas. Philosophice jam in eo continetur sensatio determinata, quod sensus sui negationis sit processus. Immo quaevis identitas immediata, qualis est identitas animae et corporis in sensu sui animalis, cognitione capi non potest, nisi ut momentum evanescens, praeteritum. Sensatio quidem determinata *to Scire* est sensuum externorum, quibus sublati, nullus in animali cogitari potest sui sensatio determinata. Prima est animali sensatio corporis; quae autem determinata est vel sensu partis cuiusdam corporis, ab alia quadam commotae, vel sensu actionis in corpus rei cuiusdam externae. Sensus itaque proprie sic dictus sensuum externorum primus est, maximeque, ut ita dicam, centralis, qui simul objecti externi atque cuiusque partis corporis sensationem communicat. Sequuntur sensus externi ceteri. In quavis igitur sensatione determinata anima τού *Esse* sui in corpore, uti sensuum organo, conscientia est. 12) Manet itaque in sensatione idem ille processus, quem sensum sui efficere intelleximus. *To Esse* materiae supponit anima, organum nempe sensus materiale; hanc vero negat suppositionem, suaे

10

20

30

40

50

ipsius in organo materiali existentiae conscientia. Determinationem autem sensationis efficit res externa materialis, cuius vero animal ut objecti, ab anima sejuncti, in sensatione non conscientium est. Animal quovis temporis momento *haec* est sensatio determinata, a qua neque suam essentiam, semetipsum ut Subjectum sentiens, neque essentiam rei, materiam ut Objectum, se Jungit. Cogitationis nempe est haec dirematio Subjecti atque Objecti, non vero sensationis.

Animadvertisendum autem, sensations determinari se invicem eliminando. Negativa enim est cuiusque sensationis ad ceteras omnes relatio. Quae eadem determinatio animae simul est atque rei externae. Animal igitur quamque rem aliam esse sentit, atque ceteras res omnes; rem neque illam, neque istam, sed hanc individuam esse sentit. Rei igitur conscientium est animal sub specie qualitatis cuiusdam simplicis vel quantitatis; proprietates vero, naturam, rationem, essentiam rei ignorat. Probe autem observandum, animal qualitatis vel quantitatis uti universalis minime conscientium esse, i. e. nullam harum rerum notionem universalem habere. Suum itidem Esse animal ut hanc vel illam sentit sensationem; i. e. τὸν Esse determinati, existentiae suaे conscientium est.

(13)

Etsi vero animal in unaquaque sensatione suam existentiam ab existentia rei externae non discernat, in uno suam atque rei existentiam sentiens, tamen discriminem adest inter animal sentiens et rem externam. Animal nempe in sensationum serie sua gaudens existentia, determinationum alteram ab altera disjungit. Praesenti cuique sensationi itaque praepositae quasi sunt sensations praeteritae; accuratiusve: quaevis sensatio praesens negatio est totius sensationum seriei, animaque processus est hujus negationis, quovis temporis momento praecedentem negans sensationem. Praesens negatio sensatio est rei externae; praeteritum vero sensationis momentum, seriem negationum complectens, fundamentum quasi, principium, efficit, unde praesens prodeat sensatio. Sentit igitur animal Esse suum ut praeteritum, cuius negatione praesentis conscientium est existentiae. Quae sensatio praeterita revera sensatio determinata non est, sed sensus sui, de quo locuti sumus, Esse immediatum animae in corpore, quod sua natura praeteritum est, momentum sensationis et existentiae jam relicturn. Manet itaque sensus sui animalis uti fons et principium sensationis determinatae. Aliis verbis: anima hic est processus existentiam suam ponendi, τῷ Esse immediato supponendo. Hac vero ipsa inter sensum et sensationem sui differentia animal suum Esse ab existentia rei discernit.

Ex allatis colligere licet, animali bruto memoriam non esse tribuendam, ut quae notiones refineant universales. Animal enim universalia non capit. Competit autem animali associatio quaedam sensationum reproductiva, quam gignit et auget consuetudo. Neque est haec associatio sensationum cum associatione idearum confundenda, quae imaginationis humanae est negotium, conscientiam quoque notionum universalium continentis. 14)

Processus sensationis, si rem respicias sensatione adumbratam, progrediens est, ad novas transiens sensations. Respectu animae autem regrediens est hic actus, ut qui sensus sui negatione iterata sensum immediatum in sensationem sui, τὸν animae in existentiam transmutet. E se itaque ipsa, ex Esse suo immediato, procedit (actu sensationis simul regrediente) anima ad existentiam, ad determinatam sui sensationem. Quae processus laudati ratio appetitivam constituit animae sui positionem. Sensus impetus est, sensatio appetitus est vel

10

20

30

40

50

impetus determinatus, existens. Impetus enim, qua talis, non est nisi in praeterito, ut momentum relictum; ad rem vero determinatam semet referens, realis est appetitus. In hoc itaque stadio conscientiae identica sunt appetitus et sensatio. Nec sane in animali bruto assumi potest quaedam rerum existentium contemplatio. Impetu quidem naturali ductum, animal non solum agit et movetur, verum etiam sentit. Impetus enim satisfactione caret, dum formam assumat determinatam; neque dici potest, quanam sit natura impetus, nisi ad rem determinatam semet applicaverit. Impetus in appetitu manifestus, qui sensationem sibi convenientem comprehendat, instinctus dicitur animalis. 15)

10

Quae appetitus ratio edocet, procreationem animalem sensum sui procreantis continere. Quare etiam, organismi individui generationem in procreatione appetitiva objective, realiter, sui positionem ideae essentialis manifestare, statuimus.

#### §. 4.

Haec conscientiae sensualis natura homini cum bruto communis est. Neque aliam quandam in infante sana experientia cognoscere valet conscientiae rationem. 16) Lingua vero et sermo conscientiam efficit humanam, a mera sensatione brutorum toto coelo distantem. Nascuntur enim in homine una cum sermone rerum notiones universales. Quas rerum notiones homo a rebus ipsis distinguit, in illis suae conscius existentiae, ab existentia rerum sejunctae. Processus igitur sensationis humanae in processum transit notionum universalium, quibus designat homo res existentes, eadem comprehendens notione res qualitatibus externis, figura vel numero similes.

20

Varie hoc conscientiae momentum exposuerunt philosophi. Patet vero, animam, res a notionibus rerum distinguentem, etiam sui ipsis uti notiones concipientis conscientiam esse oportere. Neque sensus sui huic sufficit sui conscientiae. Nam anima, semetipsam in corpore praesentem sentiens, sensations quidem rerum huic opponit sensu; conscientia vero notionum, plane spirituali, minime gaudere potest, nisi notiones suas esse sentiat. Supponit igitur conscientia notionum etiam conscientiam sui spiritualem. Est vero haec conscientia sui universale quiddam, totum efficiens notionum conscientiae variantium. Homo itaque, res sentiens externas, interno quasi sensu sui conscius est, notionibus inter conscientiam sui et sensations rerum intercedentibus. Ex altera parte sensatio rerum varia et mutabilis, notio vero rei eadem remanet; ex altera autem conscientia sui spiritualis firmum sistit fundamentum, cui inhaerent notiones ipsae variabiles. Sensatio rei a re ipsa non sejungitur. Itidem notio rei existentiam hominis continet, ut quae quovis temporis momento vel haec vel illa sit notio universalis. Essentiam vero humanam immutabilem, existentiae formis suppositam, sistit conscientia sui laudata. In hac igitur sui conscientia sibi objectiva facta est idea essentialis, sui ipsis uti universalis conscientiam.

30

Quae eadem est hominis appetentis ratio. Impetum enim naturalem ad res externas referens, i. e. determinans, appetitum determinatum sub notione quadam universali concipit, suique ipsis uti determinantis conscius fit. Dominus factus est homo appetitus, tempus, modum, gradum satisfactionis determinans; i. e. libertatis suae conscientiam habet.

40

Obiter tantum monendum, hanc sui conscientiam hominis immediatam adhuc esse, processumque mediationis, quo intellectus humanus, Subjectum Objecto opponens, amborum ponit identitatem, a

50

philosophia hodierna dilucide expositum esse. *Imaginationis* itaque est *sui conscientia* immediata, de qua hoc loco quaeritur, non cogitationis explicitae rationalis, cuius est principium Subjecti cogitantis sui conscientia. In eo vero situs est cardo expositionis, quod idea essentialis, sui (ut essentiae) conscientia, anima non amplius est bruti sentientis, sed conscientia sui hominis cogitantis. Sistit igitur processus, jamjam paucis adumbratus, originem, generationem quasi, spiritus humani. Idea itaque essentialis eo ipso in ideam transit sui conscientiam, quam eandem ideam nominare licet cogitationis, Ideam ideae.

10 E natura itaque processu naturali gignitur spiritus? E natura quidem. Hanc esse rei rationem, testatur experientia quotidiana. Dicat autem physicus: e materia igitur processu materiali progenitus est. Hoc vero infitiandum. Neque experientia edocti novimus, materiam semetipsam ponere, nec sanae ejusmodi doctrina convenit rationi. Demonstravimus e contrario, quantum concederunt vires et locus, materiae organicae exemplo, materiam ipsam suppositionem esse ideae. Neque igitur concedendum, spiritum positionem esse materiae. At vero denuo corrigenda est definitio spiritus atque in hanc redigenda formam:

III. *Spiritus Ideae (sui conscientiae) materia supponenda est positio.*

20 Experientia autem duce physicus suo jure urgeat, conscientiam humanam cognitionemque in quovis individuo humano educatione formari. Concedendum quidem, infantem exemplo sermonem ediscere; de cetero hominem discendo omnis partipem fieri humanitatis. Rationem quodammodo offendit, si putaveris, hominem, omni destinatum cultu, rationi convenienter sentire atque agere posse. Notissimum vero est, etiam bruta quaedam artes varias ediscere. Itaque haud multum a sana ratione abhorrete videtur opinio satis frequens, hominem, sua prae ceteris animalibus praestantia naturali ad artes ediscendas aptissimum, nulla a brutis re differre, nisi structura organismi perfectiore. Quae opinio etiam cum sumptionibus geologicis convenire videtur, cum origo generis humani, i. e. spiritus, cognitionis, rationis, ita eadem atque origo viventium ceterorum e tellure generatione esse possit.

40 Repugnat autem revera haec de spiritu doctrina peritiae aequa ac rationi. Omnem tollit libertatem animi, omne officium, omnem culpam. Docet vero experientia, bruta non, nisi ab homine edocta, artes quasdam imitari humanas, suo vero numquam proficere studio. Quandam igitur adesse oportet caussam, cur genus humanum initio studio flagraverit rationi convenienter vivendi, indiesque ad perfectum venire studeat. Quae caussa nulla esse potest, nisi Ideae in homine manifestatio, conscientia sui, qua brutis longe homo antecellit.

50 Quae vero in organismo quaeritur differentia inter generationem primitivam (spontaneam) et generationem ex ovo, ea in spiritu individuo recurrat, conscientia nimurum primitiva conscientiae opponenda per cultum progenitae. Neque defuere, qui, notiones universales homini tantum ab homine communicari, dicent; unde etiam sequatur, necesse est, conscientiam sui humanam cultu homini impertiri. 17) Quae contemplandi ratio aeternam sumit generis humani existentiam. Tradita quoque sunt exempla hominum, in infantia casu quodam a consuetudine humana remotorum, quibus omnis defuerit facultas sermonis. Quae rei ratio, etiamsi nullis confirmata esset exemplis, tamen rata habenda esse videretur. Testatur quidem experientia, homines surdos et mutos, quibusdam gaudentes representationibus imaginationis vagis, notionibus proprie sic dictis privatos esse. Unde colligere liceat, hominem sua natura conscientiam sui habere imme-

diatam, jam adumbratam, etsi sine cultu sermonisque usu explicita destitutus sit sui conscientia, quae cogitationis principium est rationalis. Accedit, quod omnino nulla concipi possit notio cogitatione determinata, nisi quae verbis exponatur. Quare etiam conspicua est illa conscientiae sui explicatio in homine adolescente, cum per annos jam cultu et consuetudine sermonis usus est. 18)

Omnino igitur nulla admitti potest hominis cogitantis sui conscientia, nisi objectiva admittatur mundi spiritualis existentia, historia generis humani. Ex altera vero parte rationi plane contraria esset opinio, hominem per cultum cogitationis compotem fieri, nullo adjuvante cognoscendi atque agendi facultate et studio. Atqui adest quidem, teste experientia, studium animo humano innatum acerrimum; laetaturque homo cognitione rerum et actione voluntaria, nullo cogenite impetu animali. Concedendum igitur est, ideae in homine manifestationem per se conscientiam sui continere, organismumque humanum ad hujus ideae typum conformatum esse.

Varie quidem structura corporis humani a brutorum differt forma. Praecipua sunt organa vocis humanae atque sermonis, nec non incessus erecti industriaeque humanae. Dignissimam vero notatu rei ratio formam efficit cerebri atque complexus nervorum, quae organa sunt sensationis atque appetitus animalis. Ita occurunt in cerebro humano formationes, quibus destituta sunt bruta; imprimis vero notabilis est hemisphaeriarum in homine magnitudo. Quas organa actionis spiritualis esse putant plurimi physicorum. At in experimentis, hanc rei rationem probaturis, nihil obvenit, cur hisce organis alia quaedam actio tribuenda sit, atque appetitus illius animalibus communis. 19) Quam rem etiam accurata probat observatio psychologica. Spiritus humani nempe nulla adest ad materiam relatio, nisi intercedentibus organis sensationis atque appetitus. Itidem nulla est neque actio neque passio spiritualis, quae horum ope organorum objectiva, realis, non fiat. Perfectiora autem in homine sunt organa laudata, quia majora homo concipit et petit, ipsa sensatione et appetitu libere usus ad fines rationis assequendos.

Sui vero conscientia humana in nullo per se manifesta est organo materiali. Supponit haec conscientia mundum materialem totum, naturam spiritus comprehendentem; suum hac suppositione ponit Esse objectivum, mundum dico spiritualem, historiam, ad summam, generis humani, quae tota quovis temporis momento praesens est, praeterita complectens et futura. Genus humanum itaque, nexus caussasque rerum intelligens, essentiam materiae existentis sibi exponit, i. e. ideas rerum universales concipit; qua ducti cognitione homines res existentes ad rationis accommodant fines. Scientia vero illa et agendi ratio totius generis possessio quasi est cuiusque hominis, ita ut quisque hominum, quae commune generis humani studium in lucem protulerit, suo sibi adsciscat jure. Quare etiam nomine humanitatis designari solet ea, qua genus humanum quovis tempore fruitur, cognoscendi atque agendi ratio. In hac ipsa humanitate suum homo ante oculos quasi habet genium; eandem sibi adsciscens, sua conscius redditur humanitatis.

En igitur paucis generationem spiritus subjectivi exponamus, Ideae in homine manifestationem:

Anima idea est universalis existens. Cogitatione humana nimirum ut universalis concipitur. At per se sensus tantum est sui in corpore individui. Qui sensus sui numquam est, sed fuit, numquam existit, sed ut Esse immediatum, praeteritum, sensationis sui, existentiae animalis

10

20

30

40

50

est principium. Semetipsam uti universalem concipit anima tantum humana. Solus enim homo notiones rerum uti universales a rebus ipsis, quas sentit, i. e. a sensationibus, cognoscit. Efficitur vero haec dirematio una cum sermonis usus incipiente. Universale notionum semetipsum esse sentit homo. Quae tamen sui conscientia non amplius sensus sui dicenda est, sed conscientia sui immediata. Illum, Germanica usus lingua, »Selbstempfindung» nominaveris, hanc »Selbstgefühl». Latine forsan *animus* conscientiam sui immediatam, *anima* vero sensum sui comprehendit. 20) Nos conscientiam illam imaginationis esse statuimus. Atque est quoque sensatio rei, a notione distincta, intuitus appellandus.

Transit vero, mutatur sensus sui in conscientiam sui eo, quod idea in anima existente, in sensatione determinata, suae non conscientia est naturae ut universalis. Ponit igitur idea Esse suum universale; i. e. anima semetipsam uti universale sensationum concipit. Est haec conceptio generatio spiritus. Nam ita sensationes ipsae dirimuntur. Ostendimus vero, sensationes existentiam animae simul atque rei externae repraesentare. Illud momentum jam redditur Universale; transit nimirum sensatio in notionem universalem. Hoc item universale fit; in intuitum nempe transit rei externae, complexum qualitatum realium repraesentans. Idea igitur in notionibus universalibus suam sibi posuit universalitatem. At vero eo ipso sui conscientia est uti universalis. Quae sui conscientia totalitatem intensivam comprehendit notionum, ideoque conscientia dici potest imaginationis, qua semetipsum homo, uti Totum notionum, unicuique singulari opponit notioni.

Haec positio sui ideae non solum materia efficitur supponenda, sed ipsius ideae in materia suppositione. Supponit nempe idea semetipsam, to Esse materiae suum Esse sentientem; quae suppositio sensus sui animae in corpore est. Continet vero haec suppositio per se jam negationem materiae, qua revera supponitur materia. In sensationis processu manifesta est illa simul suppositio et negatio; quae vero jam non ad corpus animale solum refertur, sed ad mundum materialem, qua talis, totum. Docet nempe sensationis contemplatio, rem externam suppositam negari, sensatione rei existentiam animae ponit, simul existentiam rei externae supponi. Quae rei ratio in conscientia spiritus immediata ipsi ideae objectiva facta est, notionibus nempe Esse objectivum ideae constituentibus, cui externa est existentia rei, intuitu conspecta.

Ex ipsa igitur spiritus natura hauriri potest: primum, spiritum, qua talis, nullam in corpore supponere formam materialem, in qua idea manifesta sit, organismum vero humanum genericam esse ideae essentialis positionem; tum, Esse objectivum spiritus, mundum spiritualem, positionem esse ideae, non vero suppositionem negatam. Supponit vero spiritus mundum materialem totum, immo suum ipsius Esse animale, naturale, uno verbo Naturam. Qua negata, ponitur mundus spiritualis objectivus.

Addit rei documenta ratio animi humani appetitiva. Nam appetitus satisfaciendo determinatur. Cui igitur homo satisfaciens moderatur, finem ex sua voluntate appetitui tribuens, notione universali conceptum. Appetitus itaque, cum animae et rei externae, ad quam semet referat impetus, efficerit existentiam, jam in naturam rei finemque animi dirimitur; quae quidem dirematio mundum sistit spiritualem finium, voluntate hominis libera determinatorum, cui supposita est natura rerum, neganda voluntatique humanae subjicienda.

Spiritus igitur subjectivus, animus, ratio humana, nihil est, nisi

processus ille ideam sui, i. e. Ideam, qua talis, ponendi, conscientiam sui sibi objectivam reddendi. Materiam supponit haec positio, materiam vero, qualem, suppositam, in sensu sui animali semet esse ostendat, i. e. materiam ut ipsam ideam suppositam.

Historia generis humani in praesenti adest, revera exsistit, praeteritum complectens et futurum. Homo vero individuus hujus ita conscious est, ut praesentem sibi adsciverit humanitatem. Quovis autem temporis momento in homine adest ipsa humanitas ut processus humanitatis adscindae. Qui processus idem ille est, quem jam Ideae positionem appellavimus. Nulla igitur re differunt ponens, actus positionis et positum.

Processum itaque respicientes geologicum, statuamus, oportet, spiritus primitivam generationem, fuisse eandem quae sit illa, quae adhuc indies recurrat. At dicas: cultu, humanitate tradita, initio caruit homo! Concedens autem, Ideam semetipsam, ut mundum materialem, Naturam, supponere, hanc vero suppositionem positionem etiam comprehendere Ideae, Spiritus sui consci, modum positionis spiritus primitivae omittas. Hoc tantum assumas, nunc temporis alium esse, alium initio temporum fuisse generationis modum. Quaeritur igitur, cur jam alius factus sit, cultura temporum sui conscientiam hominis individui mediante? Cui quaestioni respondendum: Humanitas illa, ex homine individuo quasi in individuum transiens, i. e. praeteritum et futurum complectens, hac ipsa re humanitas est, conscientia sui Ideae ut Universalis. Universalitatem Ideae nimirum pree se fert humanitas non eo, quod Totum esset, cultus nempe totius generis, sed eo, quod tota in quovis individuo adest. Hoc ipso processu igitur explicita est conscientia sui humana, quae in homine individuo initio immediata est, laudatae illius expers mediationis. Itidem non potuit non immediata esse conscientia sui hominis primitiva. Inest vero in hac sui positio, quae in cultu generis humani objectiva est, universalitate nempe ideae in processu humanitatis posita.

Revera igitur idem in quovis homine individuo adest Ideae processus, qui initio temporum adfuerit. Quae rei ratio nisi liqueat, sumas, quaesumus, genus humanum non uni originem debere homini individuo, ne duobus quidem, sed ejusmodi fuisse generis humani generationem primitivam, qualem experientia satis evidenter demonstrat ceteris competere organismis. Cui nihil plane obstat sumptioni. Immo historia temporum ubique terrarum gentes praebet populosque, homines vero singulos terras inhabitantes ignorat. 21).

Novam quidem disquisitio instituta admittit definitionis nostrae formam, cui aliam substituere fas non est:

#### *IV. Spiritus Ideae est semetipsa supponenda positio.*

Quae definitio etiam definitionem materiae (ideae sui sibi suppositionis) complectitur relationemque spiritus ad materiam exponit.

#### §. 5.

Omnis omnium temporum philosophia in eo versata est, ut ideam perciperet rerum. Vanum vero est fuitque studium ideam extra res ipsas supponendi; nam recurrat ita quaestio, quanam hujus ideae sit idea. Vetustissima itaque est philosophorum de anima quadam mundi existentis doctrina, quae in existentibus insit, naturam efficiens rerum. Necessitate coacti, physici etiam caussam rerum in rebus ipsis retinere student, examineque caussarum praeciso, leges rerum summam, totum, phaenomenorum significare statuunt. Antiquissima est, quae apud philosophos Graecos viguit, doctrina de vi elementi cuius-

10

20

30

40

50

dam anorganici in rerum natura procreanda. At invaluit sensim eorum sententia, qui principium rerum immateriale docuerunt, mundum materialem modum existendi principii spiritualis esse statuentes. Primas hujus doctrinae lineas jam apud Platonem et Aristotelem invenire licet. Eleatici, Neoplatonici, Scholasticorum plures, Paracelsus, Böhme, Spinoza eandem amplexi sunt, varie de cetero principium movens rerum exponentes. 22) Physicam prae ceteris attingit contemplandi rationem Philosophia Germanorum hodierna, quae, nullum admittens principium, nisi quod revera exsistat, Ideam caussam rerum et sui ipsius esse, statuit. Nulla itaque, putaveris, alia re opus est, quo conveniat inter physicos et philosophos, nisi ut assumant illi, phaenomena, ceteris omnibus praeponenda, caussam etiam rerum continere maxime efficacem. A minore physici caussam rerum materiale esse putant; philosophi, majus secuti, hanc ipsam materiae naturam formam quasi spiritus esse dicunt. Neque ideo spiritus humanus, qua talis, caussa rerum esse ponitur, sed Idea, quae naturam et spiritum efficit. Cujus manifestationis in tellure nostra certe illud praestantissimum est indicium, quod ideam homo cognoscat atque huic convenienter cognitioni agat, praestantiam eo ipso Ideae manifestans.

At vero physica cum extra omnem posuerit dubitationem, tellurem minime centrum esse Universi, parvi videtur esse, quid statuant homines de rerum idea. Assumi scilicet potest alia quaedam cogitandi ratio, ac quae in homine conspicua est. Quae homini absoluta sit causa sui atque alterius, haec videlicet per se derivata esset! Neque sufficiet demonstrasse, ejusmodi assertionem sanae contrariam esse rationi. Imaginatur stultus etiam, quae rationi contraria sunt. Philosophia vero nullam admittere nec potest, nec debet rerum ideam rationi contrariam. Etsi igitur ipsa creatio Universi praesens sit processus, nulla philosophiae admittenda est hujus processus idea, praeterquam quae in tellure creata manifesta sit. Immooptime rationi convenit, hunc processum manifestationis ideae fuisse, esse, futurumque esse. 23)

Patet quidem, Ideam, qua talis sit, non nisi in cogitatione esse. Quaeritur vero, num idea e. gr. Essentiae in organismo tantum Esse suum habeat. In cogitatione, putaveris, etiam adest haec idea. Idea certe, qua talis, suppositione neganda, hanc simul ponit et tollit. At in Idea momentum tantum ideale est idea essentiae, quae per se in nulla re adest, realis est, nisi in organismo. Ponas itaque, etiam momenta Ideae antecedentia in rebus adesse, ideam e. gr. quantitatis in materia ponderosa, i. e. in attractione mechanica, ideam qualitatis in cohaerentia corporum homogeneorum, ideam modi, quantitatis et qualitatis in affinitate chemica adesse, eas in his tantum Esse suum habere, i. e. res ipsas, materiam ponderosam, homogeneam et heterogeneam formare, et imaginem habebis generationis Ideae, in natura rerum manifestatae. 24)

#### *Adnotationes.*

- 1) *C. H. Schultz Schultzenstein*, »Zur Philosophie der organischen Natur» in »Jahrb. für speculative Philosophie», herausgegeb. von D:r Ludw. Noack», 1846. fasc. II. pag. 30. Gratulabundus observes, in annalibus laudatis conspicuum esse studium philosophorum recentissimum processus Naturae explicandi. Hunc versus finem tendunt tractatus plurimi, annalibus laudatis inserti, auctoribus *Temmler*, *Bickling*, *Peipers*. Organismi imprimis ratio hujusque a processu anorganico differentia exponitur.

Celeberrimus Schultz Schultzenstein usui categoriarum in philosophia naturae determinando operam dedit; cui tamen expositioni adstipulari haud possumus, lubenter de cetero concedentes, nosmet in hoc opusculo categoriis usos esse, magis justo universalibus, si tota exponenda fuisset Naturae organicae philosophia.

2) Vide: *Bickling*, Die Untersuchung über die Generatio aequivoca» in annalibus citatis 1847, fasc. I. In plantis optime patet, nulla re, nisi differentia generica, diversam effici elementorum chemicorum compositionem. Sed in animalibus quoque assumenda est physicis »vis labilis» voluntaria, actionem muscularum moderans mechanicam, concedendumque, diversam esse ejusdem materiae sanguinis in diversis organis decompositionem, aliamque in aliis animalibus adesse ejusdem organizationem chemicam. Notissimum de cetero est, materiam organicam tribus plerumque vel quattuor componi elementis, cum chemia anorganica non exhibeat nisi compositiones binarias. Cfr. *Berzelius*, »Lärobok i Organiska Kemien», prooemium; *G. Valentin*, »Grundriss der Physiologie, 2:te Aufl. Berlin 1847», p. 18 seqq. Desectio nervorum e cerebro procedentium (vagorum) digestionem impedit et (nervi 10:mi) anhelitum suffocat. *Valentin* pag. 351.

3) Auctores citare vix ac ne vix quidem opus est. Satis certe erit nominasse commentationes de processu geologico cel:i von Humboldt in »Kosmos», V. I., et Berzelii in »Förhandlingar vid de Skandinaviska Naturforskarenes tredje möte». Observanda imprimis sunt, quae affert v. Humboldt pag. 69, 367, 377 et 378.

4) Probe observet L. B. hic adumbrari, quae physicis placeant. Cfr. *Valentin* l. c., pag. 307, 308 seqq.

5) von Humboldt, ipse physicorum primus, hanc esse exposuit rationem l. c. pag. 66.

6) Schelling sane processus etiam geologici theoriam concipit. Quae vero, simul generationem Universi proponens aeterni, revera mutuam exhibet omnium rerum relationem sempiternam. Vide tractatus: »Von der Weltseele» et »Darstellung meines Systems der Philosophie» in §§. 32, 33, 148 et praecipue §. 153, »Erläuterung». Statuit Schelling, materiam uti potentia organicam aeternam esse, anorganicam vero telluris materiam residuum quasi processus organici continere. Cfr. *Michelet*, »Entwickelungsgeschichte der neuesten Deutschen Philosophie. Berlin 1843», pag. 134–145.

Sectatorum philosophiae Hegelianae pauci usque adhuc philosophiae Naturae operam dederunt. Quos inter Bayrhoffer nominandus. Generationem generis humani primitivam exponens (»Die christliche Glaubenslehre», V. I, pag. 677 seqq.), Fr. Strauss vituperatus est, quod physicae hodiernae doctrinam respexerit. Neque illud ullo jure. Nam philosophia non potest non peritiae aequa ac rationi convenienter procedere.

7) *Berzelius* dicit l. c.: »Den lefvande kroppens väsende är således icke grundadt i hans oorganiska element, utan i något annat, som disponerar de oorganiska, för alla kroppar gemensamma elementen till frambringande af ett visst, för hvarje särskild art bestämdt och eget resultat». Sic etiam *Valentin* in ovo conditiones quasdam (»eine Anzahl Bedingungen») ponit, quae processui in organismo moderentur mechanico et chemico (l. c. pag. 3 et 4). Cfr. Schelling, »Von der Weltseele», commentationem: »Über den Ursprung des allgemeinen Organismus».

8) Doctrinae Hegelianae in hac re exponenda plane consentire non possumus. Processus enim geologicus anorganicus nullo modo proces-

10

20

30

40

50

sui organico subjungendus est. Cfr. *Schultz Schultzenstein* l. c. Neque aliud esse potest philosophiae Naturae organicae momentum immediatum, nisi immediata vitae organicae ad materiam anorganicam relatio, i. e. generatio organismi primitiva, quam spontaneam vel aequivocam nomines, modo organicus esse putetur ipse processus generationis.

10 9) Constat, diversas diversis processus geologici temporibus progenitas esse animalium species. Neque mirabile magis putandum, hominem e tellure progenitum esse, etsi tempus atque modus hujus etiam generationis via experientiae numquam enucleari possunt. Varie rem exposuerunt physicorum plurimi. *Oken, Burdach, Carus* nostro aevo id fere egerunt, ut poëtae Latini, Lucretii, effata argumentatione sollertissima firmarent. Vanam vero esse putaveris conjecturam, quicquid afferat physicus, neque peritia ductus, neque idealem vel spiritualem admittens rei explicationem.

20 10) Proprie dici non potest, sensum sui sine sensus quodam organo adesse. At adest, teste experientia, in Zoophytis e. gr. inferioris ordinis sensus vitae sine omni complexu nervorum. Accedit, quod in ceteris animalibus formatio systematis nervini formationi antecedit systematis, quod dicunt, vegetativi. De cetero omnis formatio animalis e periphericis organis incipit, ad centra organismi procedens; unde concludere licet, sensum in embryo quoque adesse alium, ac qui nervorum ope efficiatur. Notissimum porro est, animalia inferiora, aequa ac embryon, sensu gaudere, proprie sic dicto, ceteros autem sensus posterius generari et in serie ordinum et in individuo superioris ordinis. Cfr *Roget*, »Naturlivets märkvärdigaste företeelser», P. III, Cap. 2 et 7. Probat haec, me judice, sensum quendam in animali exsistere internum, cuius ope sentiatur vita praesens, nulla adhuc instigante re externa.

30 11) Sequitur hoc e diversa jam complexus nervini formatione in animalibus diversi ordinis; cui etiam innituntur sensuum externorum numerus et vis sentiendi. Rem probat impetus quoque animalis in diversis generibus differentia qualitativa et quantitativa.

40 12) Alii in animalibus superioris ordinis adsunt nervi »sensibiles», alii sensuum externorum, nullum fere communicantes sensum voluptatis vel doloris corporalis (*Valentin* l. c.). Organi sensus externi per se non concium est animal, sed consuetudine ediscit, sensations per organa communicari, ita in sensatione suam ipsius sentiens existentiam. Nervi vero sensibiles processus organici, organorum, sensationem communicant. Quae complexus nervini ratio satis demonstrat, sensum sui sensationi loco cedere determinatae.

13) Nervi sensibiles, sensum corporis (voluptatis et doloris corporalis) communicantes, sensatione quoque rei externae instigantur.

50 14) Parum adhuc tractata est psychologia brutorum. Peritiam rei haud contemnendam in medium protulit *P. Scheitlin* in libro: »Versuch einer vollständigen Thierseelenkunde». Disciplina autem philosophica destitutus experimenta haud bene exposuit. Statuit e. gr., bruta etiam cogitare, at per imagines cogitare, immo judicio uti et syllogismos facere, ratione tamen non humana (Cfr l. c. V. II, pag. 343). Neque mirum igitur, quod brutis memoriam atque imaginationem tribuit scriptor laudatus. Negat tamen studium cognoscendi brutis competere. Bruta impetu atque affectibus gaudere, saepius consuetudine progenitis auctisve, nemo certe infitias ibit. Re vero accuratius examinata, patet, intellectum minime esse brutis tribuendum, neque, me judice, imaginationem. Affirmat *Scheitlin*, plurima bruta somniare; quod vero cani tantum et psittaco tribuit *Roget*, somnia de cetero irritatione

nervorum vel externa vel interna oriri statuens (l. c. V. III, Cap. 7.) Recordationem atque associationem sensationum easdem non esse ac memoriam et imaginationem, optime intelligit, quicunque, memoriam notiones abstractas retinere imaginationemque ideas rerum concipere, concedit. Neque contendi potest, sensationem quandam in bruto imaginem rei alicujus excitare. Excitat vero sensatio rei appetitum, i. e. aliam sensationem; ut e. gr. etiam in homine odor vel sapor appetitum excitare potest victus cujusdam, nulla intercedente rei imaginatione. Insequitur nempe imago rei, universalem quandam continens rei typum vel notionem qualitatis realis.

10

15) Instinctus nomine in bruto designemus, oportet, omnem sensum futuri, sive innatus est sive in consuetudinem venit. Latent sane scrutatoribus naturae saepe organa instinctus; concludere autem licet, appetitum et sensationem instinctum efficere. Aves e. gr. peregrinantes tempestatem terrae cujusdam remotae non praesentiunt, sed impetu ad peregrinationem feruntur. Constat certe, bruta quaedam e. gr. nidum victu implere, etsi hiemis nullam habent peritiam. Si autem, ea exemplo ducta hoc facere, non putaveris, attamen assumas, oportet, praemonita quaedam tempestatis adesse, quae sensui brutorum pateant. Sic etiam in ceteris. Notum est, sensus brutorum externos saepius sensibus humanis praestare. Immo pluribus forsan, quam homines, praedita sunt sensuum organis. Sic Rodentia e. gr. et Ruminantia praecipuo quodam olfactus atque gustus gaudere dicunt naturae scrutatores. Vide *Roget* l. c.

20

16) Praestantia generis humani certe infantis quoque est propria, potentiam continens cogitationis atque rationis. Si vero aegre tuleris, infantem nondum ratione gaudere, hanc etiam foetui, immo embryo tribuas oportet.

17) Huic favent doctrinae plurimi philosophorum Gallicorum, *Condillac*, *Cabanis*, recentissimisque temporibus *Broussais*, qui, sensualistarum nomine insigniti, Britannum Locke secuti sunt auctorem. Hi enim, hominem individuum sensuum ope omnem haurire rerum cognitionem statuentes, huic etiam cultum subjungunt, quem homo homini debeat.

30

18) Experientia docet quotidiana, parvulos, sermone jam utentes, initio plures qualitates rerum uno quasi complecti vocabulo, neque, nisi consuetudine eductos, qualitates simplices (e. gr. colorem) per se concipere posse. Subjecti vero et Objecti, qua talis, notionem homo adolescens tunc demum concipere valet, cum essentiam quaerit rerum, ingenium et animum auctoritatis expediturus vinculis.

40

19) Notissimum est, hemisphaeras cerebri centrum efficere nervorum motorum, cerebellum centrum nervorum complexus sensibilium. Quae centra ambo in brutis quoque reperiuntur, etsi saepius haemisphaeris quam cerebello destituta sunt. Ostendunt motus reflexi (»die Reflexbewegungen«), nervos motores etiam a cerebro separatos, immo chorda spinali desecta, cum incitati sint nervi sensibiles, agere atque organa movere. Vide *Valentin* l. c., pag. 364 seqq. Conspicuum est hoc phaenomenon in animali, absciso capite. Unde colligere licet, ne cerebrum quidem sedem esse appetitus atque sensationis sui animae in corpore. Nulla igitur suo jure sedes dici potest cogitationis et voluntatis. Optime de hac re disserit *Mr. Michel*, doctrinam refutans a *Broussais* expositam:

50

»Ce centre, qui perçoit les impressions opposées, qui les juge, qui obéit à l'une ou à l'autre, Mr. Broussais l'a placé à la partie supérieure de la moelle allongée; mais cette indication est encore trop vague: il faut

chercher le centre de cette partie supérieure» — — »il faut donc admettre, que les impressions arrivent jusqu'à un point central sans étendue et sans dimension. Là elles ne se reconnaissent pas, et ne se jugent pas les autres» — — Vide: »Essai sur l'Histoire de la Philosophie en France par M. Ph. Damiron, Paris 1828», T. I, pag. 172—173.

Sequitur hinc, amentiam vel dementiam e. s. p. sensum tantum attingere vel appetitum horumque organa.

20) Hoc fere sensu vocabulis »Empfindung» et »Selbstgefühl» utitur Schelling, »System des Transcendentalen Idealismus», Upsaliae 1816, pag. 170. Sic Kant quoque in »Anthropologie in pragmatischer Hinsicht» *animam* ab *animo* distinguit.

21) Ad hanc animum inclinant sententiam scrutatores naturae plurimi. Philosophiae certe non est numerum hominum primo progenitorum elicere. Neque vero naturae humanae convenit, unum primo exstisset hominem, cum neque cogitatio, neque conscientia sui humana, a consuetudine sermonis remota, cogitari possit. Bene de hac re *Wilhelmus von Humboldt* disseruit, cujus verba affert frater ingeniosissimus, peritissimus, in »Kosmos», V. I, pag. 381.

22) Putamus enim, omnes, qui creatorem (essentialiter) creatis rebus immancare docent, hoc referendos esse, licet Pantheismi sint non veri omnino sectatores, Divinum, qua tale, non nisi in Universo existente Esse suum habere, contendentes. Neque ex altera parte Realismi nomine notanda est e. gr. doctrina Spinozae, cum Substantiam doceat invisibilem, spiritualem, cuius attributa per se nihil sint, sed tota in τῷ Esse Substantiae contineantur.

23) Philosophia quidem, neque tellurem centrum, neque hominem finem creationis esse, statuat. Vanae illi alteri assertioni repugnat Astronomia hodierna, quae creationem fere systematum solarium prae oculis observatoris posuit. At vero Ideam, qua talis, sui conscientiam in homine manifestari docet Philosophia, in homine nempe Absoluti, Dei conscientia; quae conscientia, si identitatem praebeat, ut praebet, absolutam Subjecti atque Objecti, certe culmen efficit omnis scientiae. Ita etiam processus geologicus, quatenus huic inhaeret conscientiae, exemplar quasi proponit omnis creationis. Illam respiciens quaestionem, optime exponit Michelet (»Die Epiphanie der ewigen Persönlichkeit des Geistes, 1:es Gespräch. Nürnberg 1844», Pag. 144 seqq.), quae asseruit Hegel de Subjectivitate praeeminente, (»die übergreifende Subjectivität»).

24) Jam liquet, nosmet effatum quodammodo gnosticum, quod Hegel protulit, de »lapsu» ideae naturam naturantis, sat superque vituperatum, minime approbare. Putamus vero disciplinae Hegelianae convenire, quae de τῷ Esse idealium statuimus. Ut enim in organismo adhuc conspicui sunt processus mechanicus et chemicus, ita etiam in animo humano continentur idealiter processus naturae. At suum quodvis ideae momentum in continua serie existentium habet locum, extra quem realiter non existit. Quae revera est realitas Idealium. Totum vero ideae in primo existente, etiam si materia anorganica primum sit existens, aequa ac in conscientia absoluti humana continetur. Quae est disciplinae Hegelianae de praeexistentia idealium doctrina. In hac re exponenda, me judice, peccaverunt complures sectatorum disciplinae Hegelianae, plurimi etiam adversariorum. Quorum in numero insignis est Ulrici. Cfr ejusdem: »Das Grundprincip der Philosophie, Leipz. 1845—1846». Qui, criticam principii Hegeliani exhibens, haud respicit, principium etiam *finem* systematis esse, etsi ipse optime exposuit, principium atque caussam rerum finem quoque

Iurant quidem invocantes nostros avos natos  
fons taliorum, qui tunc mundi ordinem fecerunt, quod di-  
cunt, natura ligibus fidelium ipsi non exceptant  
Suum natus intima natura fabrica, qua res creatae  
fuit indecum praeconcentus, a corpore huminum  
abcessit. In ~~fifth~~, ratio vero mundi spiritualis, per  
se inipibilitate, tota natura fons taliorum fugiat,  
fune, gemitu, gemitu, <sup>verbis</sup> dolorum, doctinam, gemitu, gestu  
ac fons, ~~gemitus~~ immure videntis genitio  
finire.

Sicut ad hoc, quod opinio vulgaris, praeceptis  
religionis adierat, materialistarum adverteretur  
ad ostendendum animus omnis genitio, per se natura  
naturaliter, est dicitur, nullam fons ratione, qua  
res naturales, genitores ipsi, nullam fons selectione  
boni atque riali facient. Hinc justificacionem gallo-  
rum, Britannorum, gallophantum, altera ex parte officie  
jungantur experimenta, ac si omnia mundi officia  
monstra eandem fognitum natura legem, et altera  
ex vero fide quadam religiosa. Iam agnoscunt  
extra mundanorum, cuius metu natura ipsa nega-  
tur. Neque ita iugurndi. Hoc tamen displicet, quod  
plentia ita quondammodo vana sit, ut que tantum  
ad victimum cultumque parandum utiliter sit, per  
hunc mentis aquintus infirmi, nullam fons operis in  
in vera fons taliorum colenda, i.e. in ratione huminum  
illustranda & voluntate mandandar. Hinc ergo de  
~~litteris~~ gemitis, illius, nulla intercedente causa,  
placita fidei & praecepta officii abegitantur, phe-  
nomena lundati.

Första sidan i manuskriptet till Snellmans specimen för professuren i filosofi.

complecti (Vide: l. c. T. I, pag. 695 seqq.). Nam Idea uti principium philosophiae (to Esse abstractum) semetipsam ut realem supponat, necesse est. Quam rei rationem non perspicit *Ulrici*. Neque aliter rem agunt criticorum ceteri (Cfr *Trendelenburg*, »Logische Untersuchungen, II. Die dialektische Methode»). Risum fere movet *Ulrici*, cum, to Esse Objectivum (das Ding an sich) cogitationi necessario supponi, demonstraturus, atque una cum cogitatione cogitatum (materiam cogitationis) efficere, hoc tamen e ratione tantum ipsius cogitationis probet (»weil es nur so und nicht anders als seyend gedacht werden kann», T. II, 79). Spiritualismum porro jactat scriptor laudatus; attamen sui conscientiam humanam ex organisatione nervorum corporis humani explicat (l. c. T. II, pag. 348), methodumque Realismi simul et Idealismi persecuturus, meris assertionibus vacua systematis complet. (Cfr l. c. T. II, pag. 394–396).

## 34 SVENSK LITTERATUR.

*Litteraturblad n:o 11, oktober 1848*

SVENSKA SIARE OCH SKALDER AF ATTERBOM. 4. DELEN: THORILD. 1847.  
(2 RDR B:KO).

Skulle också icke aflägsnenheten och vår Finska Bokhandels skick göra det ursäktligt, att en skrift, tryckt vid slutet af sedanste år, anmäles i slutet af det innevarande, så funnes dock en ursäkt deri, att denna skrift icke tillhör dagslitteraturen, att derföre ett eller ett par år hafva intet att betyda för dess nyhet och värde. Vi känna sannerligen icke, att Svenska nationalitteraturen skulle företett något mera värderikt arbete, än detta, sedan tiden för Geijers och Strinnholms historiska arbeten samt Almqvist's tidigare uppträdande.

Det är forskningens självständighet och nyhet, kritikens säkerhet, den djupa insigten, som ordnar innehållet i stora karakteristiska grupper, den säkra, vårdade stilens och framförallt den varma kärleken för sak och för de saken representerande personligheterna, som gifva detta arbete en så sällsynt gedigenhet och fulländning. Man lärer sig bättre erkänna dessa förtjenster, ju längre arbetet läser. Ännu utlovar Förf. en femte del af detsamma, samt dertill en skildring af Sv. Vitterhetens nyaste historia. Skåda dessa en gång dagen, så har Hr. Atterbom lemnat »en objektivare litterärlistorisk skildring, än hittils någonsin varit gjord,» icke blott, såsom han själf säger sig hoppas, af den Tredje Gustafs tidsålder, utan af hela Sveriges vittra litteratur från Stjernhjelms tid.

Förf. yttrar sig äfven derhän, att det för sagde tidsålder i politiskt hänseende viktigaste här skulle »framstå i mången ny belysnings dager.» Vi vilje icke bestrida, att sådant är förhållandet. Men öfverhufvud synes Hr. A. på detta fält vara mindre klarsynt och opartisk, delande deri sin samtids bundenhet af partiåsigter, hvilken han eljest så ofta klandrar. Och skulle något kunna anmärkas mot det hela af Förf.s åskådnings och framställningssätt, så vore det synnerligast saknaden af en mera högsinnt uppfattning af Svenska folkets politiska och sociala historie, genom hvars sammanställande med nationalitteraturens utveckling den litterärlistoriska skildringen mera skulle närmat sig en kulturhistorie. Icke såsom skulle blickar åt detta håll i Hr. Atterboms arbete helt och hållet saknas. Men vill man för hvarje period göra t. ex. följande frågor: hvilken var vid denna tid den nationella bildningens